Heinricus secundus coloniensis archiepiscopus LV.+

Quinquagesimo quinto loco post obitum videlicet prefati domi-
ni Wycboldi archiepiscopi votis eligencium in plura diversis ad
regimen pontificale coloniensis ecclesie tres persone pariter
Hist. imp. col. in discordia fuerunt electe, quibusdam videlicet eligentibus
Heinricum h) de Virnenburch i) maiorem prepositum, aliis
Reynaldum k) de Westerburch l) prepositum Bunnensem, aliis
autem Wilhelmum de Iuliaco prepositum S. Servacii Traiecten-
sis.[59] Sed idem Wilhelmus statim post electionem huiusmodi
de se factam in bello Flandrensium contra regem Francorum m)
suscepto n), in quo quidem bello idem o) Wilhelmus capitaneus p)
et patricius Flandrensium fortiter egit, q) extitit interfectus.[60]
Eiusdem tamen prepositi Traiectensis electio iam fuerat
per Bonifacium papam VIII. confirmata, sed ipsius exe-
cutio morte eiusdem preventa. Duo vero r) alii superstites
coelecti ad Romanam curiam accedentes pro sua sin-
guli confirmatione sorte varia contendebant. Ad ulti-
mum autem r) electio dicti Heinrici de Virnenburch confirma-
tur, postquam in Romana curia steterat ferme s) tribus annis.
Sic t) igitur in regimine coloniensis ecclesie confirmatus
dictus Heinricus II. sedit sub Alberto predicto, Heinrico VIII.
necnon Ludovico u) IV. Romanorum v) regibus 26 annis. Quan-
ta autem idem dominus w) Heinricus archiepiscopus x) in curia
Romana y) pro sua electione obtinenda expenderit, dona-
verit et ad sumptus exposuerit, exactiones postea per ipsum
facte in clerum lucide manifestaverunt.z) Idem itaque
1309 ian. 6. Heinricus archiepiscopus Heinricum VIII. Aquisgrani unxit

[59] Guillaumes de Julers prévos du Tret archedyakes en le grant église de Liége; dipl. dat. 1302 iul. 13 ap. de Smet corp. chron. Flandr. IV, 474.

[60] In pugna ap. Mons-en-Puelle, ubi exercitui Flandrensium praefuit; v. de Smet IV, 355. 498. 810. Cf. Hocsem. ap. Chapeaville Leod. Tungr. Traiect. auctores praecipui II, 345, ubi appellatur ‚archidiaconus Leodiensium, Aquensium prepositus et in archiepiscopum Col. electus.'

\+ cod. 2 in margine: Hic fratres sancte crucis in Colonia a.d. 1307 primitus suscepit et paulo post indulgencias ecclesie eorum per diversos archiepiscopos et episcopos collatas suas eciam adiciens per transfixum solemniter confirmavit.

h) Hinricum 3. i) Virnenburgh 1. Verneburch 3. Virnemburch 4.4'.4". k) Reynardum 2.3. l) Westerburgh 1. m) Francie 3. Francorum deest 4.4'.4". n) susceptis 3. o) idem deest 3. p) capitaneus 3. q) et extitit 2. r) vero 2. s) fere 2.3. ferme 1.4.4'.4". t) Sicut 2. u) Ludewico 3. v) Romanis 2.3. w) dominus deest 4.4'.4". x) arch. Henr. 3. y) in Rom. curia 2.3. z) manifestant 1. manifestavit 2.3.